

JOANNI V.

PORTUGALLIÆ, ET ALGARBIORUM
REGI FIDELISSIMO

DOCTRINAM
BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

D E

SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

IN CENTUM EXERCITATIONIBUS

PROPOSITAM

SACRORUM RITUUM SCHOLA

PERENNE OBSERVANTIÆ SUÆ MONUMENTUM

D. D.

*Publice defendet in Gregoriana Societatis JESU Universitate die 21. Novembris
Perillustris D. Andreas de Kempelen e Nobilitate Hungarica, Comitatus,
& Urbis Possoniensis, Academia Theologica Archigymnasii Sapientie Aca-
demicus, Sacrorum Rituum in Collegio Romano Auditor, & Collegii Nobilium
Ecclesiasticorum Convictor.*



ROMÆ, MDCCXLIX.

EXCUDEBANT NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI

ACADEMIÆ LITURGICÆ CONIMBRICENSIS TYPOGRAPHI,

SUPERIORUM FACULTATE.

FIDELISSIME REX



DOCTRINA BENEDICTI XIV.
de Sacrosancto Missæ Sacrificio,
quæ nobis tradita totoque anni de-
cursu privatis exercitationibus exulta sub auspiciis
Tuis jam prodiit, nunc eodem patrocínio Tuo sufful-
ta, & in centum Exercitationes distributa, in certa-
men, & arenam descendit. Deerat hoc publicum ob-
servantiæ nostræ argumentum, ut præstitum MAJE-
STATI TUÆ obsequium omnibus evaderet suis nu-
meris absolutum. Atque eo libentius Tibi sistimur,
quod

I

SYNOPSIS DOCTRINÆ
DE SACROSANCTO
MISSÆ SACRIFICIO

A SS. D. N.
BENEDICTO XIV. P. O. M.

TAM IN NONO OPERUM VOLUMINE, QUAM IN ALIIS SPARSIM TRADITE.

P A R S P R I M A.

De rebus ad Sacrificium Missæ generatim spectantibus.

E X E R C I T A T I O I.

De Missæ Etymologia; ac quo Idiome celebranda sit.

(Ex tom. 9. lib. 2. cap. 1. & 2.)



E MISSÆ SACRIFICIO differentibus inspiciendum primo occurrit, unde nominis sui originem ducat: qua quidem in re variæ sunt Eruditorum sententiæ. Cardinalis Baronius, & cum eo Pontas in *DiCTIONAR. CAS. CONSC.* Missam a voce Hebraica *Missach*, cujus tamquam gratæ oblationis pro fructibus terræ *Deuteron. cap. 16.* mentio se offert, dictam arbitrantur. Albaspinæus vero a voce *Mes*, quæ apud Septentrionales etiam nunc *Conventum*, & *Festivitatem* significat, derivatam contendit. Sed communior, & probabilior Eruditorum sententia Missam affirmat vocem esse Latinam, quæ idem sit ac *Missio*, seu *abeundi venia*. Et sane S. Avitus ex Senatore Romano Viennensis in Gallia Episcopus, & Seculi quinti exeuntis Scriptor ait: *in Ecclesiis . . . Missa fieri pronuntiatur . . . cum Populus dimittitur*. Ubi Sirmondus notat, quantum a veritate aberret, qui Missam a voce Hebraica derivatam putat.

Hanc Missæ Etymologiam summo consensu amplexi sunt Heterodoxi Petrus Pichelerus; Augustinus Johannes Faschius; Joachimus Hildebrandus, & plerique alii.

Porro primis Ecclesiæ temporibus binæ dimissiones fiebant: prima, qua Diaconus Catechumenos, Poenitentes, & Infideles post Evangelium, & concionem; altera, qua ceteros omnes Missa peracta dimittebat illis verbis: *Ite Missa est*; inde Sacrificio nostro nomen Missæ inditum: qua in re consentiunt Card. Bona; Card. Bellarminus; Vicecomes; Georgius Cassander, aliique fere omnes majoris notæ Critici. Ex quo facile constat